

§. 9.

Veniendum est ad illud, quod voce Iesu commotum est, nimirum *את השמים ואת הארץ ואת הים ואת החרבה* *coelos, & terram, & maria, & terram continentem.* Nolo autem mentem verborum naturalem deserere, quanquam fuisse haud nesciam, qui in primis in vocabulis *mare & terra* gentium nomina contineri existimarunt; gentium enim commotio, septimo commate descripta, a terrae marisque commotione seiungitur, quare & animo potius distinguenda sunt, quam confundenda. Nec tamen & de coeli motu omnium eadem sententia est. Arrisit nempe quibusdem sententia fati erudita, coeli commotionem in hoc potissimum loco denotare, coelitem, geniorum, ac denique daemonum, quae in variis coelis, coelorumque diversis regionibus degere creduntur, perturbationem. Quae non recuso, sed potius cum vera totius universi commotione coniungo, hanc vero negare vel saltem negligere, multae rationes prohibent. Quenam comparatio vel similitudo, aut, si mavis, quanam cognatio coelitis, geniis ac daemoniis cum maribus atque arido seu terra continente intercederet, ego quidem non video. Nec desunt alia sacrarum literarum testimonia, quae gravissimam coeli eiusque partium commotionem loquuntur, Ioël II, 10. Matth. XXIV, 29. Marc. XIII, 28. Præterea nec a ratione alienum esse, aut rerum naturae adversari puto, coelum a conditore ac praeside coelorum potentissimo vere concuti posse, tamque vehementer commoveri, ut illud universum maiestatem Dei tremat atque exhorrescat. Vetustissimum certe hoc fuit Babyloniorum placitum, qui motus terrae hiatusque, *ut siderum* existimarunt fieri. (1) Postremo denique loco non potui a me impetrare, ut haec verba iudicarem translata esse, propterea, quod coeli commotio opponitur terrae motui, quo vere

terra,

(1) PLINIUS H. N. lib. II. c. LXXXI.